

& seq. juncto num. 146. *Damboud. in prax. crim. regul. 85. nu. 4. Berlich. d. c. concl. pract. 8. num. 28. Tessaur. dec. 12. num. 12.* Quanquam autem præsens articulus nihil de læsione, aut verberibus, ex quibus nonnunquam causatur abortus, & partû mortuum ejiciunt mulieres gravidæ, agit, tamen *Goblerus* veterum Germanorum, Bojoariorum scilicet hac de re leges aliquas adduxit, & simul arbitratur, abortus plerôsque ab hac causâ fieri, quando cum gravidâ, & tumidi ventris muliere concumbitur, ex quo contingit, partum propter coitum abigi, nimirum ex ardenti illâ coëuntium confricatione: quamobrem hujusmodi coitus inter innocentes non esse, sed extra ordinem fore plectendos existimat. Si Theologi piè & honestè de congressu cum menstruatâ differunt. Vide *Dn. Iohan. Gerh. tom. 7. loc. Theolog. c. 28. concl. 428.* Si licet Medicis honestè agere de partibus genitalibus, & mulieres nudas ostendere, ut tradit doctissimus *Iohan. Riolan. lib. 2. anthropolog. c. 30. p. 252. 253. & c. 33. p. 276. cum seqq.* Cur Jctis hæc, & talia honestè proponere esset prohibitum? Nec assentior *Cunrad. Rittersh. in jure Novellarum, part. 12. c. 5. num. 22.* simpliciter assenti vas seminarium honestè nominari non posse, & tamen illud ex aliis nominat vir ille magnus. Si hîc peccatulum, non culpo illum, sed puto ipsius modestiæ ascribendum esse. Si hîc ineptio, deliro cum *Erasmo Roterodamo*, qui eam partem corporis, de quâ nobis sermo, & cui ego jam *Timanthis* velum injicio, adeò stultam esse, & ridiculam putat, ut citra risum nec nominari possit. Vide *Eucom. Morie, p. (mibi) 12.* Inter ardua & rigida hoc jocofum interposui. *Andreas Alciatus* vir doctissimus, *Coras. 6. misc. 20.* maximi nominis Jctus *Menoch. de A. 1. Q. lib. 2. cent. 4. c. 363. Coras. 4. misc. 8.* non copiâ, sed elegantia, & dispositione omnium Judiciorum superior, *Fulv. Pacian. lib. 1. cap. 1. n. 11.* vir eximiæ eruditionis *Iohan. Gæd. in tract. de sequest. in rubr. num. 5.* solebat inter eruditissimas suas lectiones fabellas proponere, & gravissimi, diviniq; Philosophi Socratis *Musa* seria jocis semper immiscebat, nec admodum excusandum hoc arbitror, quod interdum rebus seriis ac severis sales & facetias asperferim. Neque enim culpam commertus esse videor, & omnes elegantiores doctrinæ fautores huic amabili vitio veniam daturus omninò mihi persuadeo.

## ARTICULUS CXXXIV.

*Pœna medici, qui medicamentis occidit.*

Ut boni viri, & prudentis non est objicere Advocato lapsum aliquem causæ; cum in ejus motu & manu, positi non sint exitus, & victoriæ causarum, quibus patrocinator. *Iulius Paulus* (cujus sapientiam tanti fecit *Iustinianus*, ut nil supra, *Georg. Eberlin. de O. 1. c. 52. num. 20.*) ingenuè fatetur in *l. quasi in est, 78. §. cum vir, 6. ff. de legat. 3.* se apud Prætorem fideicommissarium in causâ quâdam succubuisse. Et licet omnes penè interpp. existiment, sententiam illam penitus fuisse justam, doctissimus tamen *Cujac.* Prætorem malè judicasse statuit, *lib. 12. obs. c. 11.* Nonne inquit *Nevizanus*, hodie in aliquo modo dubiis causis justam senten-